

stabit. Colimus ergo & imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem à deo secundū: & quicquid est, à deo consecutū, solo deo minorem. Hoc & ipse uolet. sic enim omnibus maior est, dū solo uero deo minor est: sic & ipsis dijs maior est, dum & ipsi in potestate sunt eius. Itaq; & sacrificamus pro salute imperatoris, sed deo nostro & ipsius: sed quomodo præcepit deus, pura prece. Non enim eget deus conditor uniuersitatis odoris, aut sanguinis alicuius. Hæc enim dæmoniorū pabula sunt. Dæmones autem nō tantum respuimus, uerum & reuincimus, & cottidie traducimus; & de hominibus expellimus, sicut plurimis notum est. Ita nos magis oramus pro salute imperatoris, ab eo eam postulātes, qui præstare potest. Et utiq; ex disciplina patientiæ diuinæ agere nos satis manifestū esse uobis potest, cum tanta hominū multitudo pars penè ciuitatis cuiusq; in silentio & modestia agimus, \*singulis forte noti magis quàm omnes: nec aliū de noscibiles quàm de emendatione uitiorū pristinorum. Absit enim ut indigne feramus ea nos pati quam optamus, aut ultionem à nobis aliquā machine mur, quā à deo expectamus: tamē (sicut supra dixim⁹) doleam⁹ necesse est, quod nulla ciuitas impune latura sit sanguinis nostri effusionē, sicut & sub Hilariano, cum de arcis sepulturarū nostrarum addamaissent: Arcæ nō sint arcæ ipsorum, non fuerunt messes enim suas nō egerunt. Caterū & imbres anni præteriti quid cōmemorauerint genus humanū (apparuit cataclysmū scilicet & retro fuisse propter incredulitates & iniquitates hominū) & ignes q̄ super mœnia Carthaginis proxime pependere per noctem. Qui mirati sunt sciunt quid uiderunt, & pristina tonitrua quid sonauerint sciunt q̄ obduruerūt. Omnia hæc signa sunt imminentis iræ dei, quam necesse est, quomodo possumus, ut & nunciemus, & prædicemus, & deprecemur, interim localem esse. Vniuersalem enim & supremam suo tempore sentiēt, qui exempla eius aliter interpretantur. Nam & sol ille in conuentu Vticensi extincto penè lumine adeo portentum fuit, ut nō potuerit ex ordinario, deliquio hoc pati, positus in suo hypsomate & domicilio. Habetis Astrologos. Possumus æque & exitus quorundam præsidum tibi proponere, qui in fine uitæ suæ recordati sunt deliquisse quod uexassent Christianos. Vigell⁹ Saturninus qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit. Claudi⁹ Lucius Hierominianus in Cappadocia cum indigne ferens uxorem suam ad hanc sectam trāsisse, Christianos crudeliter tractasset, solo pratorio suo uastatus peste, cum uiuis uermibus ebullisset: Nemo sciat (aiebat) ne gaudeant Christiani, aut spe Christianæ. Postea cognito errore suo quod tormētis quosdam à proposito suo excidere fecisset, penè Christianus decessit. Cecili⁹ Capilla in illo exitu Byzantino, Christiani gaudete, exclamauit. Sed quid uidentur sibi impune tulisse, ueniēt in diē diuini iudicij. Tibi quoq; optam⁹ admonitionem solam fuisse, quod & Adrymeticum Mauilum ad bestias \*damnaisset, statim & uexatio subsequuta est: & nunc ex eadem causa inter-

Sacrificandū pu  
ra prece.

“

“

“

“

“

Fort. \*singuli.

Fort. quæ optamus.

Gētiles messibus ca  
ruerunt ob uexatos  
Christianos.

Fort. cōmemora  
uerim.

Cecilius Capilla.

Fort. quod ut.  
Forte \*damnaisset.